


44/54899

F 10







A V S P I C E
f5.
D E O. O P T. M A X.

A M P L I S S I M I -
Q V E A N T E C E S =
S O R V M I N I N C L Y T A E T
celeberrima Academia Basiliensi-
um Ordinis Iurisconsultorum
auctoritate & consen-
su, hasce

D E
V S V C A P I O N E E T
P R A E S C R I P T I O N E
T E M P O R V M

T H E S E S,

Pro summo Docturæ gradu &
priuilegijs in V. I. consequen-
dis, publicè tueri cona-
bitur

M. C H R I S T O P H O R U S F A B E R
Halenſis Saxo,

xiiii. Octob. hora & loco consuetis.

1588.

VOL. 316. NO. 3



38/44/54 899(0)

A M P L I S S I M I S, CL A R I S S I
M I S AT Q V E E X C E L L E N T I S S I M I S
Viris, pietate, eruditæ doctrinæ copia, prudentia, integritate,
virute & autoritate præstantissimis, Dominis Consulibus &
Senatoribus inlyte Reipub. Salinarum Saxoniarum,
Dominis & Patronis suis patria san-
ctitate colendis,
S. D.

NON minus recte quam eleganter divi Imp. Leo et Anthemius, milites cum togatæ tum armatae militiæ collaturi, in hæc verba rescripserunt: Advocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si prælijs ac vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis & thoracibus nituntur: sed etiam aduocatos, militant namque causarum patroni, qui gloriose vocis confisi munime, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. Quid enim, quæso, bello tantoperè simile videri potest, quam lis & iudicium? Bellum movent partes, similiter & item ibi duces, quorum imperio res administretur, hic advocati deliguntur: ibi milites operam suam præstant, hic procuratores & alieni negotij gestores: ibi armis contenditur, hic scriptis & testibus: ibi de civitatibus et regnis disceptatur, hic pariter possessiones & cæteræ opes in controversia versantur: ibi speculatores magnopere profundunt, hic quoque, ut quid adversarij cogitent, quid moliantur, intelligatur. Duces stragematis utuntur, aduocati consilijs: in bello vigilantia plurimum iuvat, itidem in iudicio. In hoc igitur tantum differunt, quod in bello casus multum valent, hic nihil prosunt: ibi solum viribus contenditur, hic ratione: ibi iudice fortuna, hic grauissimis viris. Quo fit, ut Aduocati ducibus & militibus longe præponendi videantur, cum illi etiam contra,

hi verò tantummodo pro iustitia pugnant. O' sancta igitur
iustitiae bella, quae non ad hominis ambitionem aut avariti-
am explendam; sed ad iustitiam, veram Dei omnipotentis
imaginem, exercendam suscipiuntur. O' felices vistorias,
quae & vistoribus immortalem gloriam, & vietiis amicabi-
lem pacem cum æterna salute coniunctam, afferunt. Huius
bella si gererent homines, nunquam tubæ, nunquam litui
audirentur: arma aut exederentur rubigine, aut in ligones et
vomeres conflarentur: belli, dissensionis, inimicitiarum, ne
nomina quidem hominibus cognita essent. Verum enim ve-
rò cum tam armatis quam togatis militibus, periculorum
ac laborum exantlatorum præmia potentibus, ante omnia
in arenam concendum, virtutisq; & eruditiois speci-
men dimicando edendum sit: ego quoque in inclita & ce-
leberrima Basiliensium Academia, pro summo togatae mili-
tiae cingulo & Docturæ privilegijs Iuris utriusque conse-
quendis, idem munus suscepi, ac de utilissima V s v C A-
P I O N V M materia, mihi ingredienti in augustissimum ac
religiosissimum Iustitiae Templum lustranda ac contem-
planda oculis oblata, publicæ disputationis provinciâ subij.

Vobis autem, Amplissimi atque Clarissimi Viri, Domini
ac Patroni patria sanctitate colendi, non spe lucri, sed amo-
ris ac benevolentiae erga patriam (pro qua optimus quisque
& vel vitam ponendam statuit) declarandæ gratia, hanc Di-
sputationem meam dedicare volui. Quare ut Amp. Dig.
vestræ levidense munus in bonam partem accipient, etiam

atque etiam peto & contendeo. Valete Patres Am-
plissimi, & me meosq;, quod facitis,

amate. Basileæ 8. Octob.

Anno 1588.

Ampliss. Dig.

Vestra

Subiectiss.

*M. Christophorus
Faber.*

D E V S V C A P I O N E
E T P RÆS C R I P T I O N E
temporum

T H E S I S . I.



U M omnium legum, sine quibus
nulla consociatio, nec inter homi-
nes coniunctio esse potest, suprema
sit salus populi, utilitasq; publica:
non immerito à legumlatoribus u-
sucapio est introducta.

I I.

Et quamvis cum naturali aequitate pugnare videa-
tur: quod nemo cum alterius detimento & incommodo
locupletari debet: tamen quia diligens paterfamilias ei ia-
etur & facile occurrere, & id damnum evitare potest:

I I I.

Sufficiat dominis, secundum Iurisconsultū Gaium, ad
inquirendas res suas statuti temporis spacium.

I V.

Quare tam negligens et ignavus quis esse non debet, ut
rei sua possessionem ab alio detentam, tempore legibus con-
stituto non interpellareret: quod cū ipse neglexerit, damnum
sua negligentiae & socordiae acceptum ferat.

V.

Non enim negligentibus, sed vigilantibus & necessita-
tererum impeditis, iura subveniunt.

Ideoq; cùm aliquo suo factō, id quod suum est, amittat: usucaptionem, communis privatæq; utilitatis insignē conservatricem, æquitati nullo modo contrariam, statuimus.

VII.

Dicta est autem usucatio ab usu & capio, quasi usu et possessione rem capio.

VIII.

Usus enim h̄ic possessionem significat: quia in usucaptione non usus, sed facultas alicuius rei utendi seu possidendi inspicitur.

IX.

Recte igitur & eleganter Franciscus Connarus defensit, usucaptionem dici quasi per usum vel usu capio.

X.

Non ut Gellius, quod usucatio dicatur sicut pignoris capio. Recte siquidem pignus capitur, at usus non capitur: sed usu, hoc est, per usum seu possessionem temporis lege definiti res aliqua capitur vel acquiritur.

XI.

Nam capio est acquisitione: & capere est, in suum dominium capere.

XII.

Sic Papinianus in l. nec utilem. ff. ex quibus caus. maior. vocabulum usus pro ipsa usucaptione posuit.

XIII.

Inde usū acquirere, & usūrem suam facere, ita recon-

reconsulti nostri sepius dixerunt.

XIII.I.

Definitur usucapio, quod sit adiectionis dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.

XV.

Cuius species, pro varia scilicet & diversa rerum usu-
capiendarum natura & qualitate, sunt complures.

XVI.

Nam res mobiles, triennio: immobiles vero, inter praesentes decennio, inter absentes vicennio usucapiuntur.

XVII.

Unde usucapio alia triennalis, alia decennalis, alia vi-
cennalis nominatur. Olim vero erat annalis & biennalis
tantum.

XVIII.

Præter has à iureconsultis adhuc aliae præscriptionum
formæ recensentur: cuiusmodi est præscriptio triginta aut
quadraginta annorum, ut in rebus sacris & furtivis bona
fide possessis.

XIX.

Itemq; centum annorum, vel potius eius temporis, cu-
ius initij memoria non extat: quod tempus requiritur in
Principiis & Ecclesiæ rebus. Quamvis & hoc per Novel-
las constitutiones sit correctum.

XX.

Porrò cum hominis causa omne ius constitutum sit:
ordine à Paulo Iurisconsulto observato, primum omnium

de

de personis, quæ usucapere possunt, vel non, dispiciemus.

X X I.

Omnis autem persona generaliter usucapiunt, quæ suo nomine vel per se, vel per alium, possessionem acquirere possunt.

X X I I.

Cuiusmodi sunt paterfamilias, matresfamilias, ceteraque qui sui iuris sunt, & affectionem possidendi habent.

X X I I I.

Filius vero familias ut patri possessionem acquirit, ita & usucapit: excepto peculio castrensi, vel quasi castrensi.

X X I V.

Cum enim ibi loco patrisfamilias habeatur, sibi ut per alios modos, ita & per usucaptionem acquirit.

X X V.

Et quidem olim in peculio adventitio et ignorantia patri & possessionem acquirebat, & usucapiebat.

X X V I.

Hodie autem in adventitio peculio, licet patri concessus sit ususfructus: tamē quia proprietas à filio tenetur, idcirco sibi usucapere potest.

X X V I I.

Servus, cum nullo modo possidere possit, nulla quoq; ex causa sibi usucapere potest.

X X I I X.

At ex alijs titulis & domini nomine possidere, et usucapere eidem potest.

Non

XXX.

Non autem pro hærede. Nam nec antea adire hæreditatem potest, quād dominus iussit: et cūm iussu domini hæreditatem adit, dominus per illum hæres efficitur: & quidem statim, ita ut nec momento aliquo in eius persona hæreditas subsistat.

XXX.

Pupillus infans, si tutore autore possidere cœpit, quemadmodum possessionem acquirit, ita & usucapit.

XXXI.

At si animum possidendi pupillus habeat: aut sit eius ætatis, ut intellectum capiat: quemadmodum sunt pupilli pubertati proximiores: etiā sine tutoris autoritate & possessionem nancisci, & usucapere potest.

XXXII.

Is qui posteaquam usucapere cœpit, in furorem incidit, utilitate suadente receptum est, ne languor animi damnum in bonis etiam adferat, ex omni causa implet usuacionem.

XXXIII.

At in furore constitutus, quia non potest incipere possidere, cum affectionem detinendi nullam habeat, usucapere non potest.

XXXIV.

Usucapi insuper possunt omnes res, quae & possidi possunt: nam usucatio sine possessione non procedit.

X X X V .

Ideoque res quæ possideri nequeunt, nec usucapi possunt.

X X X V I .

Possideri autem nequeunt partim res incorporales, partim vero corporales.

X X X V I I .

Res incorporales, ut sunt servitutes, possideri non possunt: cum nec apprehendantur, nec tradantur. ideoq; nec usucapi possunt, cum usucatio sine processione non procedat.

X X X V I I I .

Iure tamen receptum est, ut longo tempore & diuturno usu servitutes acquirantur.

X X X I X .

Quippe cum usus harum loco possessionis sit: & licet verè eas non possideamus, quasi tamen possidemus.

X L .

Corporales etiam, veluti res furtivæ, usucapi non possunt: quia lex xii. Tab. & lex Atinia nominatim illius usucaptionem inhibent.

X L I .

Sic enim verba legis Atiniae (quas Aul. Gellius lib. 17. Noct. Attic. cap. 7. refert) habebant: QVOD SVRREPTVM ERIT, EIUS REI AETERNA AUTORITAS ESTO. id est, semper eius rei, quæ furto ablata est, vindicanda potestas fiat domino.

Ethoc

X L I I .

Et hoc propterea, quia auctoritatis vocabulum veteribus nihil aliud, quam precij & dominij sui auctionem significabat. Cum itaque eius rei persequendae autoritas perpetua esset, semperque rei furtivae dominus maneret, certe alius eius rei dominus utendo effici non potuit: quia duo eiusdem rei domini in solidum esse nequeunt.

X L I I I .

Eodem modo nec res vi possesse, ex l. Julia & Plautia, quarum utraque de vi lata fuit, nullo tempore usucapi possunt.

X L I I I I .

Quod autem dictum est, furtivarum et vi possessorum rerum usucaptionem per leges prohibitam esse: non eò pertinet, ut ne ipse fur, qui ve per vim possidet, usucapere possit (nam his alia ratione usucatio competit: quia scilicet mala fide possident) sed nec ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi ius haberet.

X L V .

Nisi longissimo tempore, 30. vel 40. annorum spacio quis eas possideat.

X L V I .

Quia tanto tempore vitium illud reale, quod impedit usucaptionem, elui & purgari, omnemque actionem tolli constat.

X L V I I.

Unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bona &
fidei possessoribus usucapio competitat.

X L V I I I.

Nam qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia
caussa tradiderit, furtum eius committit.

X L I X.

Sed tamē id aliquando aliter se habet. nam si quis rem
defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depo-
sitam, existimans hæreditariam esse, bona fide accipienti
vendiderit, aut donaverit, aut datis nomine dederit: quin
is qui acceperit, usucapere possit, dubium non est: quippe
cū ea res in furti vitium non ceciderit.

L.

Cum utiq_z hæres, qui bona fide tanquam suam alienat,
probabilemq_z in factō alieno ignorantiam habet, furtum
non committat.

L I.

Idem dicendum est de eo, ad quem ancillæ ususfructus
pertinet, si partum suum esse credens vendiderit aut do-
naverit.

L II.

Furtum enim sine affectu furandi non committitur.
Cessante ergo affectu furandi, furtum dici non potest.

L III.

Et quælibet caussa, etiam iniusta & fatua, excusat à
dolo, & consequenter à furto.

Quare

LXXXI.

Quare qui ab usufructuario emit, usucapere potest:
quia titulum habet emptionis: ex quo iure possidetur pro
suo, & usucapitur pro emptore.

L V.

Ipsē vero usufructarius non potest: quia titulo iusto
caret, & error iuris ad usucaptionem non proficit.

L VI.

Sufficit tamen furandi animum adfuisse, sive princi-
paliter, sive in consequētiam: ut in eo qui saccum plenum
pecunia surripiuit.

L VII.

Furti namque actione etiā sacci nomine tenetur, quam-
vis non sit ei animus surriendi.

L VIII.

Si quis loci vacatis possessionem propter absentiam aut
negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, si-
ne vi nanciscatur: quamvis ipse mala fide possideat (quia
intelligit se fundum alienum occupasse,) tamen si alij bo-
na fide accipienti tradiderit, poterit ei longa possessione res
acquiri: quia neque furtivum, neque vi possessum acceperit.

L IX.

Abolita est enim veterum quorundam sententia, exi-
stiantium, etiam fundi loci ve furtum fieri. cum enim
res soli non contrectetur, quia loco moveri nequit: in ea e-
tiam furtum non committitur.

L X .

Et eorum utilitati, qui res soli possident, principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa & indubitate possessio debeat auferri.

L X I .

Secus tamen esset, quando verus dominus per aliquod temporis spacium peregre proficeretur: tum, quia possessionem rei immobilis non abiecit (possidet enim civiliter animo, licet absens sit) fundus non esset vacans, et occupans diceretur clam possidere, ac per consequens præscriptio impediretur.

L X I I .

Aliquando tamen etiam res furtiva, vel vi possessa, usucapi potest: velut si in domini potestatem reversa fuerit. tunc enim, vitio rei purgato, procedit eius usucapio.

L X I I I .

Tum autem res in potestatem domini redijisse dicitur (inquit I C. Paulus) cum possessionem eius nactus fu, ut iuste avelli non possit: sed tanquam rei sua.

L X I V .

Nam si ignorans rem mihi surreptam emam, non videri in meam potestatem reversam.

L X V .

*Sicut nec tum reversa intelligitur, si possessorem alii, quam furem aut violentum detentorem, aut etiam hunc ipsum (ex intervallo tamen: in continenti enim illi hoc licuisset) vi expulerit dominus: quoniam interdicto **UNDE VI** possessionem est restituturus.*

Porrò

L X V I.

Porrò etiam tum res rediſſe dicitur, quando dominus rem surreptam vendicans, litis aestimationem accipit, licet corporaliter eius nomine non sit nactus possessionem.

L X V I I.

Idem dicendum est, et si domini voluntate alij tradita sit, vel ipsi etiam furi.

L X V I I I.

Sed & si pupilli res surrepta sit, sufficit, si tutor eius sci-
at, rediſſe rem in domum pupilli: quod si furioso, sufficit cu-
ratores scire.

L X I X.

Præterea omnes illæ res, quarum nullum est commer-
cium, usucapi non possunt. Nam quia alienari nō possunt,
idcirco nec per usucacionem earum rerum dominium ac-
quiritur.

L X X .

Eiusmodi sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ: item res iu-
ris gentium omnibus communes, & publicæ, res universi-
tatis, liber homo, & aliae eiusdem generis.

L X X I.

Sic res fisci quoq; usucapi non possunt. Papinianus ta-
men scripsit, bonis vacantibus fisico nondum nunciatis, bo-
nae fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis usuca-
pere posse: & ita divus Pius & divi Severus & Antoni-
nus rescripserunt.

Quod

LXXXII.

Quod ad formam usucaptionis attinet, sciendum est, primum requiri bonam fidem, seu bonam conscientiam: quia nemo reclamante conscientia rem alienam invadere & auferre debet.

LXXXIII.

Bonam autem fidem is habere dicitur, qui existimat se vel cum ipso domino contrahere, vel ab eo rem traditam accipere, qui aut dominus est, aut ius alienandi habet.

LXXXIV.

Unde Modestinus IC. ait: Bonae fidei emptor esse vindetur, qui ignoravit eam rem alienam esse: aut putavit, eum qui vendidit, ius vendendi habere.

LXXXV.

Qui enim contra iura & legis prohibitionem mercatur & contrahit, presumitur esse in mala fide.

LXXXVI.

Hinc est, quod mala fides presumitur intervenisse, quando solennitas requisita, fuit omessa, & ordo debitus non fuit servatus.

LXXXVII.

Insuper ab initio in usucapione bona fides necessaria est. nam, ut ait Ulpianus, inspicitur origo nanciscendae possessionis.

LXXXVIII.

Actametsi postea is, qui bona fide contraxit, possessio nemq;

nemq; apprehendit, cognoscat rem esse alienam: nihilominus tamen adhuc iure civili usucapere potest.

L X X I X.

Incidens enim mala fides nō nocet, nec præscriptionem interrumpit.

L X X X.

Sed quod initium spectandum sit, contractus, an traditionis vel possessionis, quæritur? De hac quæstione dissensio fuit inter veteres iuris auctores, quo ad emptionem: etenim emptio à cæteris causis et cōtractibus hic distingueda esse videtur. Nam quod ad cæteros contractus attinet, inter omnes convenit, traditionis possessionis ve tempus esse inspiciendum: sed in emptione Proculiani existimaverūt sufficere, si initio cōtractus bona fides intercessisset. Contrà autem Sabiniani, non solum bonam fidem in initio contractus, sed & traditionis in emptione & venditione spectandam esse arbitrati sunt: quæ sententia, ut verior, ab Ulpiano approbata est.

L X X X I.

De lure vero canonico requiritur, quod omni tempore, usq; ad completam præscriptionem, bona fides adsit: & ideo, quocunq; tempore superveniat mala fides ante perfectam præscriptionem, interrumpitur præscriptio.

L X X X I I.

Unde dicitur in c. fin. ext. de præscript. Oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat cōscientiam alienæ.

alienæ. Possessor enim malæ fidei nullo unquam tempore
præscribit.

LXXXIII.

Secundo, ut iusta & civilis sit possesso quæ usucaptionem pariat, necesse est, ut ex iusta aliqua caussa vel titulo proficiatur: cuiusmodi est emptio, donatio, &c.

LXXXIV.

Error autem falsæ caussæ usucaptionem non parit: velut si quis, cum non emerit, emisse se existimans possideat: vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

LXXXV.

Tertio in usucapione requiritur etiā possessio: cum sine ea usucapio non procedat.

LXXXVI.

Unde dicitur, tantum videri et intelligi præscriptum, quantum invenitur possatum.

LXXXVII.

Et possessio strictissimi iuris est, quæ usquam extra possessionis terminos extenditur.

LXXXVIII.

Requiritur autem possessio eiusmodi, quam possessor sciat se suo nomine proprio possidere. Nam si alieno nomine possideat, non usucapit: ut nec si per alium possideat, veluti per procuratorem: nisi se possidere habeat competū.

LXXXIX.

Tandem requiritur etiam tempus lege definitū. Quod
autem

autem vel quale temporis spaciū in cuiusq; rei usucapio-
ne requiratur, supra dictum est.

X C.

Per eiusmodi autem temporis spacia necesse est coni-
nuari possessionem, et non interrumpi: aut naturaliter, ut
quia possidere possessōr desit, vel quia aliquid ex substā-
tialib; usucaptionum ei intervertitur: aut civiliter, ut per
litis contestationem.

X C I.

Finis usucaptionum est, ne quarundam rerum diu &
ferè semper incerta dominia essent:


X C II.

Tum ut pœna maneat negligentibus constituta:

X C III.

Tum denique, ut litium aliquis reperiatur finis: quas
minui & spiri publicè interest.

SOLI DEO GLORIA.



112
Contra dicitur quod non debet esse nisi
admodum rite et deinde secundum modum
quod est in eo.

113
Contra dicitur quod non debet esse nisi
admodum rite et deinde secundum modum
quod est in eo.


114
Contra dicitur quod non debet esse nisi
admodum rite et deinde secundum modum
quod est in eo.

115
Contra dicitur quod non debet esse nisi
admodum rite et deinde secundum modum
quod est in eo.

ALIO AD. cap. 1162

380/44/54899(0)

X13<4454899000013



+ colorchecker CLASSIC

